

sit malum quod agunt, et quantum Praeposito displiceant aperte cognoscant; quod si compererint, pro certo obmutescant. De terra sunt, et de terra loquuntur; at muta fiant labia dolosa¹; rapinas, enim, meditatur mens eorum, et fraudes labia eorum loquuntur².

b) Adulatores malis bona permiscent quatenus facile sensus audientis illudant. Si, enim, semper prava dicarent, citius in sua bravitate cogniti, quod vellent minime persuaderent; rursum si semper recta sentirent, projecto adulatores non fuissent... Itaque permiscent recta perversis ut, ostendendo bona, auditores sibi attrahant, et, exhibendo mala, latenti eos peste corrumpant³. Sicque, dum laudare simulant, caritatem, veritatem, iustitiam mortaliter confodiunt! *Duplex*, enim, animus, inconstans et in omnibus viis⁴; at, ne accesseris ad illum duplici corde⁵, et si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis⁶; si dixerint: *Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculos contra insolentem frustra*⁷; filii mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum⁸.

c) Adulator hypocrisi utitur et, per dulces sermones seducit corda innocentium⁹. Tunc oculis gliscit, gestibus innuit, dolorem mentionit, obsequiis inclinatur, lacrimulis [mentiri edocis] et suspiriis iam praedestinatis narraverunt ut absconderent laqueos¹⁰. At homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius¹¹. Huiusmodi, igitur, spirituales dolosusque bestiolas omni vigilancia et cautela observari oportet et examinari et sic capi, idest comprehendendi, in astutia sua¹²; nam, plerumque, plus periculi est in insidiatore occulto, quam in hoste manifesto¹³. Tunc, enim, adulatores palpando incidunt, sed a cauda feriunt, non mordunt a facie, sed a posterioribus nocent¹⁴, et [Phariseorum more] obsequium Pastoris praebere simulant, ut facilius eum in sermone capiant. *Magister: scimus quia verax es, et cum De veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, non enim accipis personam*¹⁵: en insidiosa laus; cui statim insidiosa quaestio sequitur: *Licet censem dare Caesari, an non?*¹⁶; recedunt blanditiae, sed venenum est in sermone.

¹ Prov. XXX, 19.

² Id. XXIV, 2.

³ S. Gregor. Magn. Moral. Lib. V, cap. II.

⁴ Iacob. I, 8.

⁵ Ecclis. I, 36.

⁶ Prov. I, 10.

⁷ Id. Ibid. II.

⁸ Id. Ibid. II.

⁹ Hugo a S. Victore, in Epist. ad Roman.

¹⁰ Psalm. 4, 63.

¹¹ Prov. XXIX, 5.

¹² S. Bernard. Sermo 62 in Cantic.

¹³ Teophylactus, Instit. Reg. Par. II, cap. 15.

¹⁴ S. Gregor. Magn. loc. cit.

¹⁵ Matth. XXII, 17.

¹⁶ Ibid. 18.

d) Adulator perverse Pastorem imitatur, et ut umbra corpus sequitur, ita ille in incessu, in vestibus, in corporis motibus, in verbo et in opere Praepositi vestigia calcat. Hoc, enim, tantum intendit, scilicet: ut Pastori gratus efficiatur, unde eum decipere facilis queat!

e) Adulator alienis passionibus utitur et, quin eis obsistat, etiam suffragatur. Sicque, dum malefacta hominum laudibus effert, auget quae increpare debuerat. Hinc, enim, per Prophetam dicitur: *Vae qui consunt pulvilos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis...* Quisquis ergo male agentibus adulatur, pulvillum sub capite vel cubito iacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat¹. Tunc cum vident dominum suum in temptationibus vacillantem, possuntque eum verbo exhortationis imbuere, ac peccata evellere et erigere in virtutem, mellitis sermonibus, spiritum in eo virtutis extinguunt, atque imbecilles sanctioris propositi conatus evanescunt, et multis fictisque sermonibus super seminat zizania inimicus homo². Sicque dum, per fraudulentia consilia, audientis animum blandum sonat, quasi cum fistula aeris cantat ut unde mulceat inde decipiatur³. At qui iustificat impium, et qui condemnat iustum, abominabilis est uterque apud Deum⁴, quod haud cogitant adulatores qui hoc unum contendunt, scilicet, ut Pastori complacent, quo sibi ipsis benevolum reddant: et ut ambitionis triumphum celebrent, virtutem veritatemque ut fumum dissipant. At horum sermonibus ne accomodes cor tuum⁵; ne acquiescas verbis mendacii⁶: prodit, enim, quasi ex adipe, iniquitas eorum⁷.

f) Pastoris amicitia male utitur, et eius sub umbra tam mala facinora patrat ut de ipsius dictis, scriptis et operibus negotiare videatur. Nec mirum: nam si de Christo adulatorem commercium facere haud pudet, quomodo de homine mercaturam agere pudebit? — Nec satis: nam pastoralis regiminis utilitatibus haud adulator consultit, et neminem nisi quem sibi suisque nunc amicum, vel in posterum utilem persentit patrocinatur defenditque: pauperes vero derelictosque adeo negligit, ut divitibus et potentibus, per fas et per nefas, attendat. Uno verbo, se ipsum quaerit, caeteros despicit, et sub auctoritatis umbra, pecunia vel protectione, se vel suos ditare festinat.

g) Fideles et sinceros amicos a Pastore arcere adulator

¹ S. Gregor. Magn. Epistolar. L. I Indict. XII, epist. 33 *Ad Ioann. Episcop.*

² Petrus Blessensis, Epist. 15 *Ad Rainaldum.*

³ S. Gregorius Magnus, Moral. Lib. XXIII, cap. 17.

⁴ Prov. XVII, 15.

⁵ Ecclis. VII, 32.

⁶ Exod. V. 9.

⁷ Psalm. LXXII, 7.

conatur ne suas contra veritatem insidias illi detegant, et ut ipse solus gratus, potensque apud illum extet. *Homo verbosus separat Principes*¹. Tricis igitur, calumniis, delationibus, apocryphis vel anonymis epistolis, *pravo corde machinatur malum, et omni tempore iurgia se minat*².

b) Auxiliatores sibi adulator quaerit, et ut Pastoris animum capiat, eum adeo, per diversos, versute obsidet, ut nil aliud quam quod ipse vult a pluribus illi suggeratur. Tunc colligunt se quatuor aut quinque, atque consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit...; cogitur hoc tantum scire quod illi loquuntur... Bonus... venditur Imperator!³. Perfida hac arte, iustitiae veritatisque cathedra, in erroris pestilentiaeque cathedralm immutatur, nam nil latius circa illam quam adulacionis fumus habetur. At [meminerit Pastor] cum de eadem re, plures, eodem tempore et ratione, sponte ei loquantur, oculos attente pandat, impium dissolvat foedus, atque, subdolis his artibus, condignam mercedem rependat.

g) Adulator, ut facilius Pastori utatur abutaturque, amoris tantum speciem erga illum simulat: etenim si Praepositum sincere recteque diligenter, profecto quae diximus haud ipse ageret. At quaerens quae sua sunt, non quae Pastoris, est amicus secundum tempus⁴, socius mensae, et non permanebit in die tribulationis⁵, amicus qui odium et rixas suscitabit⁶, solo nomine⁷, qui fraudulenter incedit⁸, qui revelat arcana⁹, qui blandis fictisque sermonibus loquitur, et rete expandit gressibus¹⁰ Pastori; nam arat mendacium¹¹ et subsannator¹² est. Quae adulatoriis effigies, e Sacra Scriptura deprompta, satis superque est ut quid scorpio iste sit haud Pastor ignoret.

57. — Quomodo sint adulatores habendi, quamvis ex dictis pateat, attamen ad rem paucas peculiaresque indigitamus normas, scilicet:

a) Pastor se ipsum advigilet; Princeps, enim, praeceptum ad rem extat, se ipsum haud laudare: si, enim, de nobis ipsis nimiam existimationem foveamus, tunc adulantium laqueis facilis illigamur. *Enimvero non est quod nos magis aliena iudices adulacione perire quam nostra. Quis sibi verum dicere ausus est? Quis non, inter laudantium*

¹ *Prov. VI, 14.*

² *Id. XVI, 28.*

³ Vopiscus, *in Vita Aurel.*

⁴ *Eccles. VI, 8.*

⁵ *Id. 10.*

⁶ *Id. 19.*

⁷ *Id. XXXVII, 1.*

⁸ *Ierem. IX, 4.*

⁹ *Prov. XII, 13.*

¹⁰ *Id. XXXIX, 5.*

¹¹ *Eccles. VII, 13.*

¹² *Id. XXXIII, 6.*

*blandientiumque positus greges, plurimum tamen sibi ipse assentatus est?*¹. Igitur ad facilis inimicorum insidiis effugiendis, in humilitatis arce confugiendum, electos viros imitantes qui, *cum laudes suas audiunt, inter fomenta laudis, a rigore iustitiae non mollescant: nam qui reproborum acta despiciunt, excipere verba nequaquam possunt. Quia ergo flecti laudibus nequeunt, laudatores improbos et subtili ratione discutiunt, et districtis sententiis insequuntur*². Coram Deo, igitur, Pastor conscientiam discutiat suam: ante Christi tribunal de se suisque sententiam sincere ferre ne renuat, quo tantum cantilenas adulatorum facile illicientes despiciet. *Enimvero quoties hi qui, specie tenus, apud homines in excelso sunt, coram Deo demissi esse coguntur! Spectemus, igitur, nosmetipsos uti reapte sumus, et adulatorum laqueos profecto effugiemus.*

b) Pastor aures suas et os claudat, nam *adulatio si vel ad tempus patienter suscipitur augetur, et paulisper adeo demulcent animum, ut a rigore suae rectitudinis mollescat in delectatione sermonis. Sed, ne crescere debeat, statim est, et sine mora, ferienda*³; *ideo claudenda sunt aures malis vocibus, et quidem primis*⁴. *Enimvero si initium intra nosmetipsos prius suscipimus, quid mirum si deinde eius insidiis subiicimus?* At turpius admittitur quam non eicitur hospes. Igitur sicut ventus dissipat nubes, sic, vultus austeritate, enervantem adulacionem Pastor exterminet. *Nolite, itaque, dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi disrumpant vos*⁵. *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo*⁶.

c) Os adulatoris Pastor claudat iuxta, Sapientiae monitum: *remove a te os pravum*⁷: nam *peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas*⁸, *extenderunt linguam quasi arcum mendacii*⁹, et super Pastoris dorsum iniquitatis aedificium struere contendunt! Idcirco *interrumpat sermones malitia et interserat aliquid de lege Dei, de canticis Sion, de torrente voluptatis aeternae*¹⁰. — Id vero non private tantum, sed et publice: nam qui vel carminibus, vel donis, vel aliis muniberibus [palam traditis] Pastorem adulantur haud desiderantur. At gravem Herodis eventum meminerint Pastores qui, *vestitus veste regia,*

¹ Seneca, *De tranquillit. animi*, Cap. I.

² S. Gregor. Magn. *in I Reg. Lib. V, Cap. II.*

³ Id. Homiliar. *in Ezech. Lib. I, Homil. II.*

⁴ Seneca, Epist. 129.

⁵ Matth. VII, 6.

⁶ Prov. XXV, 20.

⁷ Id. IV, 24.

⁸ Psalm. X, 3.

⁹ Ierem, IX, 3.

¹⁰ Petrus Blessens. *De Institut. Episcop.*

*sedit pro tribunali et concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces et non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini eo quod non dedisset honorem Deo et, consumptus a vermis, expiravit*¹.

d) Dona vel favores adulatoribus haud largiatur Pastor, quorum, cum una semper mens sit favores carpere, nisi eos assequerint, laudum canticum in vituperiorum chorum immutant, quo, tandem, vice saltem una, qui reapse sint et quid intendant, ostendunt.

Articulus II.

DE PASTORIS PRUDENTIAE ADIUMENTIS.

§ I. De veritatis in Pastore amore, et de sui ipsius agnitione.

SUMMAE RERUM. — 58. De veritatis in Pastore amoris necessitate. — 59. De eius obiecto. — 60. De sui ipsius agnitione. — 61. Ad rem ratio. — 62. Ad rem media, seu de in propriis passionibus vigilantia. — 63. De quibusdam peculia-ribus adiumentis.

58. — Ad haec omnia feliciter devitanda, ut in primis Pastores adeo veritatem faveant ut nil antiquius cordi habeant, necesse est. Enimvero qui ambiguitate, calliditate tricisque quoquomodo inser- viunt, potiusquam patres, proditores [iure meritoque] ab Origene vo- cantur. Nam pater non est qui, verbis dolosis, filium in fraudem inducit: mater non est quae pro lacte, venena nato propinat: quod faciunt hi [si adsunt] qui aliud promittunt ore, aliud mente destinant; aliud verbis loquuntur, aliud animo versant: quae ubi semel subditi repererint [quod facile accidere assolet] hostiles exurgunt animi, fiducia omnis exulat, et pro christiana simplicique sapientia, ingens diffidentia hypocri- sisque oritur. — Nec satis, sed ut semper et omnem veritatem Pastores diligent enixe suadendi: adsunt, enim, qui *amant veritatem lucentem, sed odiunt arguentem*³, gratam, scilicet, at non ingrata adamant, Quo fit ut, quicum amara medela dulciori utilior sit, mediis ad regimen effi- cacious ibi careant. Tunc, si quis sincere veritatem ipsis pandat, aegro animo sustinent, et [quemdam Israeliticae gentis Regem imitando] de sincero amico ingeminant: *mittite istum virum in carcerem*⁴ ut sua

¹ *Act Apostolor. XII, 11-23.*

² *Prov. X, 13.*

³ *S. Augustin. loc. cit.*

⁴ *Matth. XIV, 2.*

sinceritatis poenam luat. At *meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis*¹. Enimvero genuina sapientia mundi haec est quam Pastores Ecclesiae odio prosequi debent, ut Crucis stultitiam semper et in omnibus obsequantur. Idcirco *veritatem eme et noli vendere Sapientiam*²; nam in semitis iustitiae vita, iter autem devium [memi- nerint Pastores] dicit ad mortem³, ea quidem morte qua nulla miseror est. Veritate succumbere, quam mendacio vivere prestantius est.

59. — Huius veritatis amoris in Pastore obiectum, tum in sui ipsius, tum in coeteris omnibus sibi subjectis, vel eorum quae ad paroeciam pertinent agnitione ac recta diudicatione continetur, quibus tantum [prudentia duce] sui regiminis rectam normam sibi praestituere Pastor valebit. Quum vero in his, veluti totius regiminis fundamentum habeatur, per partes dicemus.

60. — Ut Pastor se ipsum cognoscat valde interest. Enimvero quum, omnis vitae spiritualis fundamentum sui agnitio sit, et quum pastorale regimen a Deo vitam habere debeat, ut Pastor sui ardui munieris officia iure obeat ut ante omnia spiritualis homo sit et sui ipsius cognitionem habeat oportet. Quae omnia et ex prophano confir- mantur regimine; nam si omnes in eo difficultates recte perpendimus, potiusquam ex subditis, ex Praepositis saepe eas oriri facile compemus: quae recte iudicandi vim adeo Pastori auferunt ut hic [malo exemplo], malis subditorum facinoribus ansam praebere consuescat. Idcirco, primum ac praecipuum veritatis inimicum se ipsum esse per- suasum prorsus Pastor habeat, quo ut seipsum cognoscat emendetque omnem adhibebit industriam, qua, et fidelibus et sibi magnum emolu- mentum afferet. — Nec secus paganae scientiae consilium, quam *nosce te ipsum* indesinenter commendasse omnes scimus; quod salutare pree- ceptum, a Christi schola nobilitatum et uti scientiarum omnium com- pendium habitum esse, novimus. Idcirco apte dixit quidam: *haec est altissima et utilissima lectio sui ipsius vera cognitio*⁴, qua tantum, re- gimen, et virtutes defectusque nostros agnoscamus, qua agnitione non solum divinae, sed et humanae prudentiae synthesis cum contineatur, brevi explicacione indiget.

61. — Ad rem rationem philosophi omnes in suarum virium cognitione indigitare consuescant, quam in tum positivum, tum negativum sui ipsius studium iterum dispescunt. Idcirco:

a) Quae Pastor possit inquirat, nimur quae a Domino

¹ *Prov. XXVII. 6.*

² *Id. XXIII, 23.*

³ *Id. XII, 28.*

⁴ *De Imitat. Christi. Lib. I, cap. 2, 16.*